

Ihs

dominica

in octava

pasche tit

14 III



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN;
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

De 7



INDEX SCRIPTORUM OMNIUM

Uoluntate hoc comprehensorum

- I. Gratulatio ad Christianum II. Electorem Saxonie Jacobi Schotta. I. V. D.
- II. Oratio Parentalis Jacobino Frederico Duci Saxonie Bregeus Bregeus habita.
- III. De Vita et Morte M. Laviani.
- IV. Oratio fidei De Christiano f. Electore Saxonie. Matthaei Presteri.
- V. Oratio D. Hummi habita Wratzge in anno Jubilaei. 1.
- VI. Oratio fidei ibidem habita. 2.
- VII. Oratio D. Person. 3.
- VIII. Oratio D. Schotomii. 4.
- IX. M. Schmitt. 5.
- X. Rhodomanii. 6.
- XI. D. Zauyeri. 7.
- XII. Tyrendogii D. Heteri de Vita Hummi.
- XIII. Examen D. Hummi Praefationis Collo. qd Bauarii.
- XIV. Exoro nro Pauli M. Martini.
- XV. Colloqum Graecum.
- XVI. Theses Theologicae de Communi coe Iohannem Mitteri.
- XVII. Disputatio De Geni. Pm Frankii.
- XVIII. Disputatio D. Gesneri ex Genesi.
- XIX. Decem Quaestionum Mathematicarum D. Petisci.
- XX. De Natura Spiritus Theoretice D. Petisci.
- XXI. Disputatio de iusticiis Testamenti. D. Hummi.
- XXII. De Coniunctione Testamenti. D. Ambrasi.
- XXIII. Paraphrasis Lyrica Prophetiae Iona. M. Loretani.
- XXIV. Gratulatio Clingerii Imperatori dicata.
- XXV. Ingressus Wratzge M. Voiti.
- XXVI. Gratulatio in Natale I. Rudolphi Principis Anhaltini Amilungi et in XXII eius de M. Voiti.
- XXVII. Ecloga Rudolphi Bestmanni.
- XXVIII. Elegiam obitum Johannis Brunesti Principis Anhaltini M. Festschi.
- XXIX. Epitaphium ad Johannem Georgium Principem Anhaltinum Rospiti ab Aeterna Morte. M. Voiti.
- XXX. Carmen eolure Jacobmanni.
- XXXI. Her Anhaltinum M. Selini.
- XXXII. Epithalamion in Wratzge Rudolphi Principis Anhaltini M. Festschi.
- XXXIII. In Doctoratu Jacobi Heberysii.
- XXXIV. In mptas Profmanni.
- XXXV. In mptas Alberti à Wratzge.
- XXXVI. Johannis Crispi.
- XXXVII. Christi am Pm Kouii.
- XXXVIII. Martin Zelii.
- XXXIX. Johannis Gropii.
- XL. Johannis Modeleri.

- XLII. Nostri Wolfgangi à Bezen.
XLIII. Petri Mattison Wesenbarii.
XLIV. Andree Orlavii.
XLV. Jacobi Imgei.
XLVI. Galerii Rudigeri.
XLVII. De Olivo Bernhardi Miulpi.
XLVIII. Anhaltini Berhmani.
XLIX. D. Andrew Ravizari.

ORATIO SECULARIS
IN ALMA VVI-
TEBERGENSIUM ACADEMIA,
IN FESTIVITATE
PHILOSOPHICA,

Die Catharinæ habita

à

M. ERASMO SCHMIDT,
GRÆC: LING: PROF:

*ANNO CHRISTI M. DC. I. QVI ACADEMIA
VVitebergensis fuit Centesimus
& Iubilæus.*

ADDITA EST ALIA EIUSDEM, DE
America, in Promotione xxxv Magistrorum,
23 Martij 1602, eodem Iubilæo
currente, recitata.



VV I T E B E R G Æ

*Typis Laurentii Seuberlichs. Anno
Christi M. DC. II.*

IN ALMA VVI

TEBER GEMSIHM ACAS

AL FRASMO & HUBST

ADRIA ITALIA CHSDEN DE



COITERROR
The Journal of the
Cath. M. D. II



ORATIO SECULARIS
DIE CATHARINÆ,
ANNO M. DC. I.



DoRector Magnifice, Illustres &
Generosi Barones, Viri Reverendi, Consul-
tissimi, Amplissimi, Doctissimi, Clarissimiq;
Patres Academici, Collega & Amici ho-
norandi, tūque Nobilissima & Lectissima
juvenum concio, Auditores aequissimi, In-
ter alia, quæ à majoribus nostris religiosè
instituta sunt, etiam hoc Leges Collegij Philosophici habent, ut
quotannis vigesimus quintus dies Novembris, qui in fastis
Ecclesiasticis Diva CATHARINÆ sacer est, in hac Aca-
demia solenni ritu celebretur, adeoq; ipsius Catharinæ (quam
studiorum Philosophicarum hujus Academia Patronam, lau-
datissimus fundator FRIDERICVS Sapiens esse voluit)
laudes prædicentur, Missa, & alia id genus fiant.

Hæc etsi pia & religiosa intentione sunt instituta: non
carent tamen iniquatione Pontificiæ abominationis, ut quod
Catharinæ preces jubentur fundi, pro salute Academia &
successibus studiorum: quod item Missa abominatio præcipitur:
& si qua fortè sunt alia. Quæ nos, in veriore Deum colendi
ratione instituti, merito rejicimus, retentis interea ijs quæ cum
superstitione Pontificiæ nihil commune habent, ut quod DEO
PATRI AETERNO, cum FILIO, & SPIRITU
SANCTO, pro benigna protectione & conservatione, cum
totius Ecclesiæ, tum verò etiam nostra Scholæ, laudes dicun-
tur, & gratia toto pectore aguntur, & idem invocatur, ut
deinceps quoque hanc Scholam, adeoq; totam Ecclesiam, con-
tra omnes Diaboli furores, benignè velit conservare.

A 2

Non

Non est igitur, Cives Academici, quod hic Missam Pontificiam exspectetis, quam abominationem, Deo sit laus, dudum exstirpavimus: Non etiam est, quod Catharina laudibus inhiatis, quibus quidem digna est, sed tamen alio tempore de ijs multa fuerunt allata: Non est etiam, quod preces illi nobiscum fundere cogitetis: Illam enim neque Deam, neque Patronam, neque Adjutricem studiorum agnoscimus: sed ut exemplum tantum industriae & eruditionis, merito suscipimus.

Pro Missa verò, & pro laudibus Catharina, proque precibus ipsi fundendis, ad Deum nos convertemus. Tibi ergo aeternae, omnipotens, & benignissime Deus, Pater, Fili, & Spiritus sancte, gratias agimus, toto pectore, quod hanc Scholam nostram haecenus in centesimum usque annum, sub tutela Illustrissimorum Saxoniae Electorum clementer protexeris, inque ea veram tui noticiam, artesque humaniores, cum aliis Facultatibus omnibus, conservaris, omniumque clanculariorum & apertorum hostium, qui deletam eam cupierunt, conatus irritos feceris & retuderis: à dissipationibus pestis & famis benignè tuitus: Docentibus & discipulis, gratiam & Spiritum tuum largitus fueris: Pacemque $\kappa\alpha\lambda\omicron\upsilon\sigma\omicron\upsilon\varsigma$ & Halcyonia in commune his terris concesseris: aliisque omnia, quae ad vitam nostram debilem sustentandam spectant, abundè praestiteris. Oramus te eundem Patrem, per Filium, cum Spiritu sancto, ut & deinceps Scholae nostrae, huiusque Illustrissimis Patronis & Nutritiis, Saxoniae Principibus, gratia tua benignè adesse velis, ut vox Verbi tui, artiumque, perpetuò inter nos sonet, omniaque avertantur, quae ad abolendam eam spectant: ut ita grata Tibi semper dicamus & faciamus, tuaeque misericordiae vasa efficiamur, nosque Te

&

& nunc, & in perpetuum, infinitis laudibus celebremus.

Has preces, Deo aeterno, propter Christum, omni Pontificiorum Missa gratiores, placuit praemittere.

Cum autem pro more haecenus recepto, in hoc conventu, verba mihi facienda sint: optarem equidem, ut exspectationi vestra, Patres ac Cives Academici, respondere, & vestris auribus politis, atque hoc loco amplissimo digna, dignè proferre possem. Verùm agnosco hac in re meam tenuitatem, & lubens quidem: speroque vos, qua alios haecenus audivistis, eadem me quoque patientia audituros esse.

De argumento autem cum dispicerem, multa quidem occurrerunt & varia: sed placuit praeter ceteris, hoc tempore, quo sub initium Imperij Illustrissimi Principis CHRISTIANI SECVNDI, Electoris Saxoniae, &c: Domini nostri clementissimi, & in Magnificentissimo Rectoratu Illustrissimi Principis AVGVSTI, Saxoniae Ducis, &c: itidem Domini nostri clementissimi, annum Academia nostra Iubilaeum, centesimum scilicet, Dei beneficio attingimus, & dies Catharinae, Collegio Philosophico, (statutis ita praecipientibus) solennis, jam centesima vice recurrit: brevibus commemorare, quanta beneficia hoc elapso seculo, Deus huic Scholae nostrae, atque adeò ex ea, etiam aliis, imò toti orbi Christiano contulerit, & ex quantis tenebris, ad quam splendidam lucem nos adduxerit: ut de his commonefacti, Dei bonitatem agnoscamus, & ad debitam gratitudinem corda nostra excitemus, & ut deinceps istum thesaurum nobis salvum conservare velit, ardentibus votis oremus. De quo argumento, dum jam propter frigoris inclementiam, brevius ago, vos Patres ac Cives Academici, vestro favore benevolè me sublevate.

Ut autem beneficia Dei nobis praestita, penitus inspiciantur, nosque ad gratitudinem magis incitemur: proponemus nobis tria secula: Illud quod nostram Academiam antecessit:

Trium seculorum collatio.

A 3.

Hoc.

O R A T I O

Hoc ipsum, cuius ultimum & Iubileum centesimum annum, à fundata nostra Academia agimus: & proximè sequens, quod divino auspicio propediem inchoaturi sumus.

^{1.} Seculum ante
Academiam
obscurum.
^{2.} Propter
tenebras ar-
tium.

Illud ergò seculum, quòd ante nostram hanc laudatissi-
mam fuit Academiam, ut depingamus, ostendendum nobis
est, quantis tenebris omnes disciplinae, eo seculo, cum praece-
dentibus aliquot, usque ad conditam nostram Academiam,
& sub eius initium, fuerint involuta. Hic tantum chaos sese
offert, ut ubi initium, ubi finis dicendi faciendus sit, non facile
appareat, & citius dies nos deficiat, quàm dicendi materia.
Ex hac infinita ergo multitudine, praecipua duntaxat attingemus.

In genere
ratio docen-
di intricata.

Atque ut in genere primum dicamus, Tanta fuit, etiam
apud docentes ignorantia, ut quid docerent, nec ipsi intellige-
rent: Id quod etiam aperte confiteri non erubuerunt, dum, si
quando ex discipulis, Nunquid dicta à se intelligerent? inter-
rogatis, audierunt, Rem non esse intellectam: Ipsi, neque se eam
intelligere, subjecerunt. O praecelaram eruditionem, ubi Prae-
ceptor cum discipulo, tanquam mus in pice haeret. Idem cer-
tè mihi videntur fecisse, quod cæcus alteri cæco viam mon-
straturus.

Finis studio-
rum inco-
gnitus.

Quin neque finem studiorum noverunt: sed plerique, prae-
sertim Monachi, literis quodammodo degustatis, finem se as-
secutos putarunt, si ociosè viverent. Sicut aliquando Mona-
chus quidam senior, ignavissimus & insulsissimus, sedens oc-
ciosè, & pedes pendulos alternatim (sicut nostri pueri solent)
jaëtitans, Monacho juniore dixit: Ecce, si probè didiceris,
etiam tibi licebit aliquando tam beatè vivere. Ocium,
asinus ille, & ignaviam, & pendulos pedes jaëtitare, finem
studiorum aestimavit. Imò inventi fuerunt, qui ab Apostolo
literarum studia prohibita, vel improbata saltem crediderint,
quando inquit; Scientia inflat. Ad eò, scilicet, voluerunt
isti

isti cuculligeri esse humiles, ut neque tractanda ea putarint, qua animum inflammare possent. Interim abdomen ventris ut turgeret & tumeret, nec cibis, nec potui, nec somno, nec ocio pepercerunt. Quos egregie lusit Thomas Morus Anglicus, hoc Epigrammate:

Quemlibet inflat, ais, vel teste, Scientia, Paulo:
Unde igitur tantum, tu pater ample tumes?
Vix gestare potes turgentem abdomine ventrem.
Inflatique levi mens tibi stultitia.

Atque hac in univ^{er}sum primū, & generatim. In specie vero, ut à Grammatica, infimo omnium disciplina-
rum fundamento, initium faciamus: tantam hīc inveniemus barbariem, tantas tenebras, ut vix inveniri illum existimem, qui credat, nisi evidentissimè convincatur.

In specie in
singulis arti-
bus.

In Gram-
matica.

In Ortho-
graphia.

Non dicam jam, quā barbarè scripserint, alibi pro Vocalibus Diphthongos, & contrā, facientes, ut Foelix, vel Fælix, pro Felix: alibi Consonantes omittentes, alibi prater necessitatem inferentes, ut: Ympnus pro hymnus, temptamen pro tentamen, & id genus ferè infinita.

Non etiam dicam de studio abbreviationum, quas qui intelligeret, & perfectè legere posset, profundè doctus nominabatur: adeo etiam, ut cum ad officia Ecclesiastica admittere aliquem vellent, prius in lectione abbreviationum eum tentarent. Ita cum aliquando quidam Otto Episcopus, alteri Episcopo Clericum, ad functionem Ecclesiasticam commendasset, his literis: Otto Dei gratia, rogat vestram clementiam, ut velitis istum Clericum conducere in vestrum Diaconum: & verò hanc commendationem abbreviatè scripsisset: Voluit alter Episcopus, Clerici eruditionem explorare, jussitq; literas ipsum legere. Ille ergo, abbreviationum non benè gnarus, ita legit: Otto Dei gram, rogat vestram clam, ut velitis istum clincumclancum, convertere in vivum Diabolum.

Non



In Profodia.

Non etiam dicam, quàm negligentes in Profodicis fuerint, adeò ut integrum seculum, vix unum aut alterum Pœtam tulerit. Imò & ex reliquis, ferè omnes, quantitatem syllabarum non curaverunt.

In Etymologia.

Non etiam dicam, quàm Barbarè aut Res nominarint, ut: Somnietas, Nimietas, Stipticitas, Trufator, Emplastrare, Clysterizare, Certiorare, cujus generis sunt plusq; sexcenta: aut quàm ineptè Etymologias rimati fuerint. Ut cum Dialecticam dictam voluerunt, à dia quod duo significare dixerunt, & Lectica, quod genus est vehiculi: eò quod duo in Lectica ex opposito sedentes possint disputare. Diabolum dictum voluerunt, à dia, quod rursus interpretati sunt duo, & bolus, quia diabolus faciat ex homine duos bolos, unum corporis, alterum animæ. Colurus derivatus fuit, à κῶλον, quod est membrum, & οὐρῶς, id est, bos Silvester: quia velut bos silvester, insigne illud membrum quod in perpetuo motu est sicut cœlum, caudam scilicet, elevatam, in semicirculi formam arcuare potest: ita etiam Colurus circulus appareas imperfectus.

In Syntaxi.

Non etiam dicam, de solœcismis Syntacticis, quos passim invenire facile quis potest. Exemplo sit hæc unica periodus. Profundissime Domine Magister noster, rogo vos, quòd veniatis mecum ad unum bonum amicum: ego volo sibi hunc librum ejus in hypocaustum suum intus portare, & eum sibi reddere. Audivi autem cum ambabus auribus, quòd insanus sit uno morbo. Interrogabo ergò, quomodo sibi sit. Credo autem quòd sit atrabilarius, & patiatur Melancholiam. Si me habuisset consulere, ego suasissem sibi, quòd mitteret ad unum Doctorem, quòd eum inter patientes, quos pronunc in cura ejus habet, recipere vellet, & videret, quòd omnia quæ in sua cura fienda sunt, rectè vadant. Quòd si pro
nuac

nunc non est vobis, profundissime Domine Magister noster benè positum, quòd mecum iretis, quæso non pro malo mihi habeatis meam petitionem.

De his, inquam, & similibus omnibus non dicam. Etsi enim magna magna barbariei sunt indicia, risum tamen magis merentur. Illa verò longè sunt majora, quæ ex his enata, in interpretationem sacrae scripturae se immiscuerunt, quæ non tantum in Grammatica, sed etiam in fidei fundamenta impegerunt. Ut cum Psalmo 23 legerunt, vel decantarunt, imò deblaterarunt Monachi insulsi, Et super maria fundavit eam. Nomen M A R I A appellativum, Proprium esse putarunt, & beatam semper virginem Mariam intellexerunt, ideòque magna cum reverentia, flexis genibus, & additis suspiriis, legerunt, Et super M A R I A fundavit eam. Atque inde insulsè obtinere voluerunt, Ecclesiam esse fundatam super Mariam virginem, eiq; idcirco cultum suum deberi. Sic quando legerunt: Hæreticum hominem devita: Verbum DEVITARE ea significatione acceperunt, qua Germani dicunt, Vom leben zum tode bringen, .i. interficere: atq; inde exstruxerunt Legem illam, qua ferro, igne, fune, rota, aqua, & omnis generis suppliciis, hæreticos, hoc est, à dogmate Antichristi alienos, (hos enim intelligunt) omnes Reges terræ persequi sunt iussi, & adhuc jubentur.

Inde intellectus sacrarum literarum depravatus.

Et sunt talia infinita, quorum plura jam referre, temporis ratio non patitur.

De Lingvis quid dicemus? Vix Latina fuit nota, eaq; horribilibus barbarismis & solæcismis depravata, ut modo ostendimus. Græca & Hebræa adeò exularunt, ut studiosum aliquot scholas pervagari oportuerit, antequam literas saltem noscere didicerit. Multi cum inter legendum, ad Græca pervenerunt, transferunt, quasi legi ista non potuerint.

In Lingvis.

Si ad Dialecticam accedimus, sive Logicam, proh De-

In Dialecti-

B

um, ca.



O R A T I O

um, quot vepres, spinae, sentesq; sese offerunt? imo tota vepre-
 ra, spineta, & seniceta Thomisticarum & Scotisticarum, hoc
 est, obscurarum futilitatum (subtilitatum volebam dicere, si
 tamen diis placet) Adeo fuerunt rudes, ut etiam nomen artis
 nec recte scriberent, nec pronunciarent. Pro Logica enim,
 Loica, omissa litera G, & dixerunt & scripserunt, quid Loi-
 ca monstri esset, ignorantes. Sed leve hoc. Gravius illud,
 quod verum usum Logicae ignorarunt, quem in subtilibus, ut
 ipsis vise sunt, disceptatiunculis, collocarunt, de Quiditati-
 bus, Entibus, Entitatibus, & similibus vanitatibus, quas
 ante 800 annos non illepido joco Carolus Magnus irrisit, Sic
 disputiren von blawen Enten. Eo tempore Nullus & Ne-
 mo quotidie se mordebant in sacco. Eo tempore, & ma-
 ne & vesperi, Nullus clamabat, Nemo audiebat.

Modales, uti in Logicis nominantur, adeo male tracta-
 bantur, ut de bonis earum non posset gustare Asinus, tametsi
 carduis, seu lactuca asinina, essent condita. Quin nec exem-
 pla intelligebant, quibus quotidie utebantur. Cum enim in
 doctrina Oppositionum, a majoribus suis accepissent hoc exem-
 plum, Socrates currit, Socrates non currit: & verò no-
 men Socrates, abbreviate scriptum fuisset, legerunt postea
 & scripserunt, & posteris tradiderunt, Sortes currit, Sortes
 non currit: quis dæmon Sortes esset, non raro admirantes.
 Quam arguti fuerint nonnulli in argumentando, vel unicum
 hoc Enthymema ostendit: Baculus stat in angulo: Ergo
 pluet. Et per consequens, Non licet Sacerdoti uxo-
 rem ducere. Auditis bonam consequentiam, ex Legibus Lo-
 gicis exstructam. Talis nimirum olim fuit argumentandi
 ratio. Et tamen ejusmodi argumentatores, profunde-docti,
 fuerunt habiti & appellati.

In Rhetori-
 ca, Arithme-
 tica, Musica.

In Rhetorica, Arithmetica, & Musica, fortè non ita
 multa inveniemus, quae reprehendi possint, nisi quod haec artes
 &

*& obscurius à docentibus fuerint tradita, & segnius à discen-
tibus tractata, & in genere à paucioribus amata.*

*In Geometria, præter Cathedum, quam nos καθετων vo-
camus, inter alia, hoc falsum Theorema fuerunt amplexi,
Figuras Isoperimétras omnes esse inter se æquales.* In Geome-
tria.

*In Geodæsia, multa, & magna, & gravia commise-
runt errata in agrorum & fundorum mensurationibus, adeo
ut hodiè nullus fundus, etiam salvis & invariatis limitibus
retentis, tantam aream habere ab Artificibus inveniatur,
quantam olim Pseudogeodætæ falsò descripsérunt: qui tan-
tum aberrarunt à vero, ut, si mihi tantum terra concederet-
tur, quantum ab istis Pseudogeodætis, præter veras areas pas-
sim in toto mundo fuit falsò descriptum, affirmare velim, me
Magno olim illo Persarum Rege, vel Imperatore Turcico,
longè ampliorem ditionem habiturum.* In Geodæ-
sia.

*Ethica doctrina, etsi aliàs rectè fortassis fuit tradita.
In hoc tamen peccatum fuit, quòd virtutibus moralibus Deo
nos placere, & gratiam ejus ac vitam æternam demereri posse
existimarunt. Imò & eò nonnulli pervenerunt, ut non veri-
ti sint affirmare, Possè ex Ethicis Aristotelicis nova Bi-
blia conscribi, etiamsi omnia Biblica exempla essent
perdita.* In Ethica.

*In Physicæ doctrinæ tractatione, etsi fortè pauciora sunt,
in quibus aliquid desiderari posset: Fuit tamen ea obscura, &
multis ociosis questionibus involuta. Et decuplā molis Ele-
mentorum ad invicem rationem, ex loco Aristotelis, lib.
2. de gen: & corr: cap: 6, perperam intellecto, introduxerunt.
Ex quo dogmate postea, exatum fuit alterum, de duplici
centro terræ, uno gravitatis, altero Magnitudinis: &
Terram aquis instar pomi aut pilæ innatare, nec cum a-
quis Globum constituere.* In Physica.

In Astrono-
mia.

In Astronomia, etsi laudandi sunt praestantium Artificum conatus, & nunquam oblivioni tradendi: Tamen praeter illos Artifices, pauci admodum fuerunt, qui illius doctrinae vel mediocrem cognitionem ad se quoque pertinere, arbitrentur.

In Astrologia.

In Astrologia, quàm multa absurda introduxerint, palàm est: quàm superstitiosè actiones etiam planè liberas, & legibus astrorum non subjectas, tamen ad astra retulerint: quàm religiosè, ut ita dicam, Interrogationes, de rebus etiam levissimis, fecerint: quomodo item gratiam Dei, ex auditionem precum, salutem animae, & alia id genus, ex astris cognosci posse, impiè tradiderint: adeò ut hanc ob causam, ars per se inculpata, imò honesta, laudabilis & divina, multis facta fuerit invisa, & habita impia: quae opinio necdum ex animis earum eximi potest, qui inter artem ipsam, & inter artificum errata non discernunt.

Neque verò continuerunt se haec tenebrae in disciplinis humanioribus: sed invaserunt etiam, Pontificum Romanorum opera, divinitus patefactam doctrinam, de Lege & Evangelio: de Iustificatione: de bonis operibus: de Invocatione sanctorum: de Indulgentiis: de Missa: de Purgatorio: de conjugio: de abstinentia ciborum, & aliis: de quibus eos errores in Ecclesiam invehos, constat, qui Ψυχολογίας causa multis fuerint: de quibus omnibus si vellem agere, dicendi potius tempus, quàm materiam, querere oporteret. Neque opus esse arbitror, alius ista repetere, cum omnibus iam sint nota, quàm quae notissima.

II. Propter
tenebras Re-
ligionis.

Ex his autem puto, Auditores exquisitissimi, jam vos intellexisse, quanta fuerint, superioribus seculis ante nostram Academiam, & sub initium ejus, in omnibus disciplinis & artibus, imò & in Ecclesiastica doctrina, tenebrae: quas cum Heraclito magis deplorare, quàm cum Democrito ridere cōvenit.

O de-

O deplorandas, & iterum deplorandas istius seculi tenebras:
O infelices homines, luc, artium & linguarū destitutos: O mi-
serrimos, quorum animas sanguine Filii Dei redemptas, Ro-
manus Cacus Dæmoni mancipavit.

Sed, quis hujus seculi jam adfecti, imò ferè confecti, sta-
tus hætenus fuit? Laus & gratiarum actio sit Deo optimo
maximo, qui ex immensa sua misericordia, has plusquam
Ægyptias tenebras, luce Artium & Verbi sui, duorum illo-
rum, non Germania tantum, sed & Europa & Orbis Christi-
ani totius luminarium, Martini Lutheri, & Philippi Me-
lanchthonis, ministerio discussit, ita ut splendor artium &
veritatis cælestis, ex hoc loco, in totum orbem terrarum, ra-
dios suos emisit, & toto hoc elapso seculo, ex omnibus ferè
nationibus, quæ sub sole sunt, tanquam ad emporium artium
& doctrinarū omnis generis, studiosa juvenus, per mare, per
terras, per saxa, & tantum non per ignes, magno numero huc
convolarit.

Hic amplissimus esset dicendi campus, quàm feliciter o-
mnes artes adeoque Evangelii doctrina, fuerint repurgatae.
Sed breviter saltem quadam attingam.

Quanta cum utilitate discentium, Grammatica, Dia-
lectica & Rhetorica præcepta, Dominus Philippus in
Compendia redegerit, & juventutem ad Aristotelica cogno-
scenda preparavit, omnibus est notissimum: adeò ut Cyprus
etiam & Lesbos, si opus esset, testimonium dare possent: qua
etiam ex Illustrissimorum Saxonie Electorum judicio & vo-
luntate, in hac Schola hætenus retinemus, & cum Aristote-
licis jungimus. Discunt jam Dei beneficio, pueri & ju-
venes, verba pura, in Latina, Græca, & Hebræa lingua,
expulsis barbarismis: discunt orationes concinnas texere, ex-
& expurgatus est hortus ejus amænissimus, excisis vepribus

II. Seculum
hætenus e-
lapsum, Dei
gratia illu-
minatum.

I, Luce ar-
tium.

Grammati-
cæ.
Dialecticæ.
Rhetoricæ.

Lingvarum.

Thomisticis & Scotisticis. Iam Nulli & Nemini in sacco pax est. Iam nec Nullus clamat, nec Nemo audit. Oratoriam quoque eloquentiam, suus nitor est restitutus.

Reliquarum
artium.

Eodem modo & reliquæ artes humaniores, hoc seculo, & magis sunt excolta, & magis hætenus florent, & à pluribus amantur ac discuntur.

Ethicæ.

Scimus, Ethicam esse partem Legis Moralis de externa disciplina, qua vel maxime pro virili præstita, nec Legi Dei satisfi, nec iusti coram Deo reputamur. Et tamen exercendam eam quotidie, cum ad reprimendos nostros affectus, tum propter ipsam honestatem: & quia pars Legis divinæ est.

Physicæ.

Scimus quoque, Physica principia discernenda esse à sacris: & explosæ sunt etiam dudum opiniones monstrofa, & rationi adverse.

Astrologiæ.

Ex doctrina quoque, de qualitatibus & effectibus corporum coelestium in his Elementaribus, ea sunt extrusa, quæ ex superstitione irrepserant: scimusque, naturalia & Elementaria, non autem proæretica, legibus astrorum esse subiecta. Scimus quoque, τῶ δυνάτω ἡγὶ τῶ χρισίμω, tanquam limitibus, hanc doctrinam secundum Ptolemaum, esse inclusam. Quod autem adhuc δεσποικονίας suspicioni occasio datur: id non Arti ipsi, sed scriptorum quorundam incogitantia tribuendum est: qui rectius de hac ipsa doctrina senserunt, quàm alicubi ex superstitosorum autorum lectionis contagio scripserunt.

Possent sanè plura commemorari, quæ in Philosophicis seculo nostro hætenus habuit puriora & cultiora: nisi me tempus ista præcidere iuberet.

III. Luce ver-
bi divini.

In doctrina Ecclesie, quanta lux hoc seculo toti orbi effulserit, omnibus Dei beneficio notissimum est. Quanta animositate, quantoque spiritu, Pontificia abominationi contradixerit Divus Lutherus, eamque non tantum oppugnavit, sed

&

Et quoad hanc Academiam & vicinas terras, expugnavit, res ipsa loquitur. Scripta est hoc seculo, iubente Magistratu, à Philippo, confessio Ecclesiarum nostrarum, in quam omnes adhuc juramus, qua nimirum Anno 1530, augustissimo Imperatori Carolo Quinto, in comitijs Augustanis, à Principibus & Civitatibus Orthodoxis exhibita, & inde in totum orbem fuit evulgata. Notum jam est discrimen Legis & Evangelii: doctrina de Bonis operibus, à Pontificiis sordibus est expurgata: conjugio suus honor restitutus. Cibi, quos Deus in usum hominum condidit, rursus concessi: Missa idololatrica abrogata: Indulgentia abolita: Purgatorius ignis planè extinctus: doctrina de Iustificatione ita jam lucet, ut merito pro eius claritate, Deo immortales gratias agere debeamus. Iam morituri, ad què se convertere debeant, ex verbo Dei docentur.

Ut rem paucis comprehendam, omnium artium & linguarum, omnium articularum fidei, tantus est iam divina gratia, splendor & nitor, ut Tenebras prius seculum non immerito dixeris.

Hæc sunt illa Dei optimi maximi beneficia, hoc seculo huic Academiæ, & ex ea multis aliis nationibus præstita. Hæc est illa superiorum tenebrarum in clarissimam lucem mutatio. Hæc à nobis celebranda, hæc ad posteros propaganda, hæc in æternum Deo accepta referenda.

Habetis nunc breviter, etiam huius elapsi seculi statum. Sed quid de sequenti, cuius initium & annum primum, proximo anno Christi 1602, die Luca, Deo volente, inchoabimus, expectandum nobis sit, scire cuperemus, fortè omnes. Ita nimirum comparati sumus, ut de futuris magis curiosè quaeramus, quàm præsentia conservare studeamus. Etsi verò, futurorum τὸ γινώσκω, soli Deo reservamus: tamen quantum vel ex causis, vel ex signis, & probabilibus coniecturis fieri, circa superstitionem potest, de futuris sobriè disquirere, non video esse prohibitum.

Quod

III. Seculum
inchoans.
Quid de eo
sperandum.

Utinam bona.

Sed metuedæ potius poenæ.

1. Propter nostram ingrati-
tudinem.

2. Propter vitam professioni Christianæ non consonam.

Quod si ergo hæc immensa Dei beneficia, quæ hoc seculo nobis prestitit, grato, uti decebat, animo, agnosceremus, nec de studio verbi divini quid remitteremus, nec ad ollas Aegyptias respectarem: sed iedum excuteremus, & vitam nostram, professione Christiana dignam ageremus, arriumq; & studiorum humaniorum nitorem conservare studeremus, usumq; pluris, quam inanem & ociosam futilitatem faceremus, aliq; quæ nos decent, prestarem: Non equidem dubitarem, fausta ac felicia quæq; in futuro seculo polliceri. Verum si paulo penitius & gratitudinem nostram, & vitam nostram, & studia nostra intuebimur: non puto quenquam fore, qui non pœnas divinitus metuat.

Ut enim primùm in genere dicam, tanta jam est mundi avaritia, tantaq; cœcitas, ut beneficia Dei, quantumvis illustria, nec sentiat, nec agnoscat. Si quid hoc seculo boni evenit: casu, aut cœco quodam fortuna impetu accidisse opinatur. Quo fit, ut pro tot tantisq; beneficiis, raræ, penè dixerim nulla gratiæ Deo agantur. Vita nostra, cum omnium atatum, tum maximè juventutis, ea est, ut nomen Dei inter gentes blasphemari faciamus. Tot jam vigent idololatriæ, non externæ illæ, sed internæ, illis nocentiores: tot audiuntur blasphemias, tot abusus nominis divini, tot execrationes, tot inania juramenta: tot sunt perjuria, tot profanationes sacrarum: tot experimur inobedientias & aîopyias, liberorum erga parentes, discipulorum erga praeceptores, subditorum erga Magistratus: tot jurgia, tot rixas, tot percussiones, tot homicidia: tot adulteria, tot scortationes: tot furta, tot rapinas, tot fœnerationes: tot mendacia, tot calumnias: tot appetitus illicitos: tot denique inordinata, ut Iovem fulminibus inermem brevi futurum credant Ethnici, si omnia ista ulcisci vellent: Nobis verò ipsis mirum fiat, Deum tam patienter & magnopius ista aspicere posse.

Hæc

Hæc ergò si quis perpendit, an non hujus ingratitude, malæq; vitæ pœnas graves divinitus metuat?

Quòd si studia nostra, de quibus nobis jam potissimum sermo est, consideraverimus, nibilo meliora ominari poterimus. Metuendum enim est, (Deus omen avertat) ne tantam omnium artium lucem, denuò excipiant horribiles tenebra, & fortè prioribus densiores. Atque has, ipsi ultro multis modis accersere videmur.

Primum enim, jam omnia nobis sordent usitata, arriident vero obsoleta, imo absurda: ut non immeritò appellari possimus δᾶλοι τῶν ἀτόπων, καὶ ὑπερόπλαι τῶν εἰωθότων.

Præterea tantam videmus esse juventutis præsumptionem, ut multi, cum ad Academiæ accedunt, omnia se jam probè, etiam ipsis præceptoribus rectius, callere putent. Habent quod in hoc desiderent: habent quod in altero: ita, inveniunt, hæc erant docenda, ita illa: atq; hoc pacto, si fortè delicatulis ipsorum auribus, gratum non sit, modum docendi præceptoribus præscribere non erubescunt. Interim hac præsumptione sua, in lutum ignorantie, in quo jamdum altè defixi hærent, altius subinde immerguntur: adeò ut ipsi sibi metipsis, subsequenter annis, minus atq; minus similes videantur: & tum demum suam ignorantiam agnoscant & deplorent, quando optima discendi occasio est amissa. Ita ergò suâ culpa vix meliores, quàm accesserant, abeunt. In quos non ineptè illud Menedemi apud Plutarchum quadrat: Multos, qui studiorum causa Athenas, vel (ut de nostro loco loquamur) Vitebergam tendunt, primùm esse σοφῆς: mox tantum φιλοσόφῆς: inde vix ῥήτορας: tandemq; ἰδιώτας.

Hæc ergò cum quotidie fiant, an non barbariem inde ominemur?

Auget metum, quòd videmus, multis non esse propositum, solidè aliquid discere, sed superficiali saltem aliqua sub-

3. Propter studiorum neglectum.

In genere.

1. Magna enim est Usitatorum fatietas & nausea: novorū verò affectatio.

2. Juventutis præsumptio.

3. studiorum frigida aut perversa tractatio.



lini eruditione, quam si vili precio emere possunt, egregiam mercem Academicam se fecisse autumant. Si Dialecticam, per Mensem, utcunq; explicari audierunt, & semestri spacio, totam Philosophiam, si Dijs placet, pertractarunt: mox mirè sibi placentes Philosophos se profitentur. Cumq; alij per multos, imò omnes annos vitæ suæ, multis laboribus & vigiliis, sudoribus & algoribus, vix scalas Philosophia admoveere possint: isti interea, nescio per quos compendiosos, cæcos, ac subterraneos cuniculos, ἀκροπόλιω ejusdem, victores occupare, sibi videntur, totam. Disputatiunculas in angulo habitas, sive defensas, sive non defensas, ac contra decreta hujus Academiae impressas, domum parentibus, tutoribus, aut patronis mittunt: suamque quam egregiam putant eruditionem ostentant; sæpè etiam iis imponunt, ut sumptus benè collocatos credant, pluresq; liberaliter suppeditent. Non rarò etiam fit, ut tales præ aliis, longè doctioribus, qui tamen suam eruditionem ita non ostentarunt, in fraudem & perniciem Ecclesiarum & scholarum, promoveantur.

4. Magistro-
rum quo-
rundam
μαγιστροφία.

Quo tamen in genere, non tam ab illis peccatur, quàm ab eorum Magistris seu Doctõribus, qui superficiali ista eruditione, miseram juventutem, nescio quibus lenociniis inescatam, in angulo illinunt, & semestri spacio Philosophos magno examine emittere promittunt: qui item non ad doctrinam publicam auditores preparant (quas privatim docentium partes esse debere, Leges indicant): sed ab eadem potius, nescio quam compendiosam sapientiam pollicentes, avocant & deterrant: Qui item angularium illarum disputationum impressione, contra decreta Academia facta, & cum fraude ac pernicie Ecclesiarum & scholarum conjuncta, φιλαυτίαν juventutis augent. Cui malo, quomodo remedium sit querendum, Magistratus scholasticus proculdubio providebit.

Neque

Neque verò hæc sufficiunt. Inveniuntur (proh dolor) exempla Patrum quorundam, probè (scilicet) liberis suis prospicientium: qui dum filios ad Academiam mittunt, prohibent tractare Philosophica, sed jubent, statim sese exercere in concionando. Stulti illi, non vident, quantum linguis, quantum reliquis artibus liberalibus omnibus, etiam Theologo opus sit. Non vident etiam, hanc suam prohibitionem esse supervacua & ociosa, cum jam juventus per se, citra tam stolidam admonitionem, perversè studia tractare soleat, & hoc potissimum in Academiis agat, ut conciones excipiantur, postillæ legantur: nihil vero interea fontes græci & Hebræi, artesque curentur. Cum tamen meminisse deberent isti, hoc esse faciendum, & illud non omittendum.

5. Parentum quorundam stoliditas.

Quod si ergò hoc pacto fundamenta artium in Academiis solide non discuntur: quis illorum, qui nunc superficiali ista eruditione inunguntur, vel planè etiam linguas & artes contemnunt: quis inquam, in subsequenti seculo, solide artes & linguas docere poterit? An non barbariem imminere? an non tenebras ingruere ominaremur?

Atque hæc generatim. In specie verò, si de linguis & singulis artibus esset agendum, ex singulis quoque similia indicia sese oblatura essent.

In specie.

Breviter, Deum Lingvarum studium, tanquam prodromum Evangelii sui, & artium, superiori seculo, nobis promississe, constat. Hoc cum jam multis sordeat, quis non post lucem tenebras metueret? præsertim cum experiamur, exterarum quasdam nationes lingvarum jam esse studiosas: quibus quidem hoc non invidemus, sed potius gratulamur: Interea autem nostræ ingratitude non immeritò metuimus.

Lingvarum neglectus.

In Grammaticis, ex orco revocantur vocabula multis jam seculis detrita & obsoleta: & laudi non postrema ducitur ora-

Pseudanti-quariorum ineptiæ.

tionem, verbis portentosis, & penè ipso sono horrendis, intricatam & obscuram fecisse: & cum matre Evandri locutum fuisse.

Pseudopoëtarum verbositas, & in artibus ruditas.

Olim Poëtarum, Poëtarum inquam, in Germania, magna fuit penuria, ut supra diximus. Hodie plurimi, quantumvis cetera rudes, versificando laudem eruditionis captare solent: adeò ut plura & majora eorum examina, quam Muscarum esse, irito verbo dicatur. Quorum ego tamen quemvis in suo censu relinquo. De ijs autem, qui tantum vocularum argutias, sine rerum cognitione jaëtitant, si dicendum esset, quod sentio, dicerem, illos non absimiles esse procis Penelope, qui cum ipsa domina potiri non possent, ancillis interea sunt usi. Planè enim eodem modo, tales, dum ad Rerum cognitionem assurgere nequeunt, in Verborum, (quæ absq; Rebus quibus famulantur, exigui precij sunt) subtilitatibus vanis superbe gloriantur: cum tamen & verba Rebus, & Res Verbis conjungere deberent.

Logici Termini barbari.

In Dialectica, multis iam sordent Aristotelici termini, pro quibus non tantum ante 800 annos à Carolo Magno irrisas Entitates, sed & Hæcçeitates, Perçeitates, Subjectionabilitates, Aptitudinabilitates, & nescio quas non Hasiabilitates, ex Barathro scotistico revocant, vel ipsi fingunt: Adeò nimirum placet eis cœnum barbaricum, in quo se volutant, præ fontibus Aristotelicis limpidissimis. Tametsi ferri posse terminos tales, suo loco & tempore, parcè & cum judicio adhibitos, non diffitemur.

Disputantium $\alpha\tau\epsilon\chi\upsilon\omicron\varsigma$ loquacitas.

In disputando, multi, quoniam in privatis exercitiis, ad syllogisticas formas non sunt assuefacti, quando ad publica accedunt, Senatorias magis habent declamationes, quàm Logicè formatas argumentationes. Vnde non rarò accidit, ut alter disputantium de alliis, alter de cepis disceptet.

Reliquæ artes, etsi ita jam constitutæ sunt, ut & Deo, & viris

viris eruditis digna habenda sit gratia: Non desunt tamen, Demonstratio-
qui eas etiam demonstrationibus firmatas, ut ex ijs, Geomet- tionum So-
triam saltem & Arithmeticam, ex Euclideis fontibus extru- phistica op-
ctas nominem, nescio quibus σοφισματίοις, ingrati convellere pugnatio.
audent.

Ethica planè quidem docentur: sed περὶ αὐτῶν in multis desi- Ethica ma-
deramus: cum pleriq; de virtutibus egregiè quidem philoso- gis theorica
phentur: vitam autem doctrina conformem non ostendant. quàm pra-
ctica.

Inveniuntur etiam, qui Physicis Principijs, in suo ge- Physica prin-
nere verissimis, per μεταβάσιν εἰς ἄλλο γένος, perperam, ne cipia pro
dicam impiè arreptis, in sacra volumina involant: & secun- fundamen-
tum ista hæc interpretantur: Atque perversa tali interpreta- to fidei po-
sitione, Filio Dei, suam infinitam potentiam, scientiam, & pra- sita.
sentiam, ad particularitatem, imò ferè ad singularitatem re-
stringere non verentur.

Et quis singulos singularum disciplinarum abusus recen-
seret? Sufficiat hos paucis commemorasse, ut videamus, quan-
tum periculum, rei literariae in proximo seculo impendat:
quodq; non frustra metueendum sit, ne Deus, partim ingrati-
tudinem, partim etiam petulantiam ingeniorum, privatione
tantæ lucis, quantam hætenus nobis benignè concessit, justè
aliquando puniat.

Et quis scit, an non post centum annos, tanta in his ter-
ris (quod tamen Deus benignè avertat) barbaries, nostra cul-
pa sit futura, quanta ante centum annos vix fuit? cum non
tantum tedium artium & linguarum nos capiat: sed etiam
inanibus futilitatibus, & nescio quibus novantiquis ineptiis,
barbariem ultrò accersamus.

Et ut hoc quoque non præteream, si historias excutimus, Temporū
apparet, inde usque à nato Christo, Persicas legationes ad po- collatio hi-
pulum Dei, non sine omine fuisse, & semper in insignes motus storica.
um caelestium periodos, imperiorumq; mutationes incidisse.



Ita ante 1600 annos sub conjunctione maxima, Romana Monarchia modo constituta, cum Eccentricitas Solis esset maxima, Persici Magi Hierosolymam venientes, Regem Iudeorum, Messiam scilicet, inquisiverunt, & splendidis muneribus honorarunt, adeoq; Religioni de Messia fidem fecerunt.

Octingentis annis post, iterum sub conjunctione maxima, cum Eccentricitas Solis jam in medietate versaretur & Imperium ad Germanos transferretur: iterum Legati Persici, Paderborna Westphaliae, Carolo Magno, preciosissima munera obtulerunt, & inter illa automatam horarium, machinam artea in Germania nunquam visam, ad cuius imitationem Carolus alia fabrefieri postea curavit: atque ita artium, precipue Astronomiae semina, in Germania sparserunt, qua postmodum majora subinde incrementa acceperunt.

Rursus octingentis annis post, hoc est, anno Christi proximo 1600, postquam eadem maxima conjunctio iterum ad caput rediit, & Eccentricitas Solis jam in minimis terminis versatur, omniaq; in toto Imperio Romano motibus intestinis & extraneis agitantur: Ecce iterum Persici Legati Augusti: RHODOLPHVM II, Praga multis & splendidissimis honorariis affecerunt. Ac licet ista Legatio proculdubio ob alias gravissimas causas facta fuit: tamen metuendum est, ne artes, jam per octingentos annos, nobis ingratis & iniquis possessoribus concessas, tacite quasi repetere voluerit: quibus a nobis sublatis (quod Deus prohibeat) densa tenebrae Religioni ingruerent.

Furor Turcarum & Iesuitarum.

Deniq; si Turcicam rabiem, si Iesuiticam in Christianum sanguinem crudelitatem, si clanculariorum veritatis hostium technas, si ingeniorum male feriatorum petulantiam, si etiam, quod maximum est, ingratitude nostram considero, metuo certe: metuo, inquam, ne.

Tacebo. Nolo male ominari. Quin potius ad preces confugio, & Te Omnipotens, aeternae, ac misericordis

ces

fime Deus, Pater, Fili, & sancte Spiritus, ex imo pectore
 oro, ut lucem Verbi tui, Artiumque liberalium & Lin-
 gvarum, inter nos clementer conservare, & ad posteros
 nostros propagare velis, nec finas eam propter ingrati-
 tudinem nostrā extingui, aut scholam hanc discordiis
 distrahi, vel bello, peste, fame, aliisve calamitatibus dissi-
 pari. Miserere nostri secundum magnam misericordi-
 am tuam, & secundum miserationes tuas multas, dele
 nostras iniquitates. Crea in nobis cor mundum, & re-
 ctum spiritum in visceribus nostris innova. Serva nobis
 hos alveolos, in quibus Juventus in timore tui, & ar-
 tium ac virtutū studio educetur. Serva nostros Patronas
 ac Nutritios, Illustrissimos Saxoniae Principes, in primis
 Illustrissimum nostrum Electorem CHRISTIANUM
 Secundum, unā cum Illustrissimis Fratribus, Domino
 IOANNE GEORGIO, & Domino AUGUSTO,
 Academiae nostrae Rectore Magnificentissimo, Illustrissi-
 mis quoque, Domina Matre, ac Sororibus, adeoque cum to-
 ta familia Saxonica, ut sub Illustris: ac Christianissimi
 nostri Magistratus tutela & patrocinio, & sacrae & pro-
 fanae doctrinae, purè doceantur & propagentur. Rege-
 docentes & discentes in hac schola, ut ea faciant, quae
 tibi sunt grata, Ecclesiae & Reipubl. utilia, & nobis ipsis
 salutaria. Reprime & infringe omnes conatus ingenio-
 rum inquietorum, praecipue autem furores Turcarum,
 & cruenta consilia Esavitarum, ne Halcyonia nostra,
 quibus tua gratia haecenus fruimur, nobis interturbent:
 multò minus hanc scholam, quae fides illis est in ocu-
 lis, unquam vastent aut aboleant. Denique largire nobis
 omnibus, ut simus vasa tuae gratiae & misericordiae, Teque
 nunc & in infinitum, infinitis laudibus celebremus, per
 te ipsum, tuamque gloriam sempiternam, Amen.

D I X I.



D E A M E R I C A

IN PROMOTIONE XXXV MAGI-
strorum, 23. Martij, anno 1602.



*Q*uod in hisce publicis congressibus, haectenus fieri, pie & laudabiliter consuevit, ut nimirum ante omnia, Deo aeterno, Patri, Filio, & Spiritui sancto, pro conservatione Academiae nostrae, atque adeo totius Ecclesiae, gratiae publicae dicantur: Illud etiam in hoc congressu nostro fieri debere censeo: praesertim, cum divino munere, sub initium Imperii Illustrissimi Principis CHRISTIANI II. Electoris Saxoniae, &c. Domini nostri clementissimi, & in Magnificentissimo Reectoratu Illustriss. Principis, ac Domini, Dn. AVGVSTI, Saxoniae Ducis, iidem Domini nostri clementissimi, jam in centesimo, adeoque Jubileo Academiae nostrae anno versamur, & hucusque luce verbi caelestis, artiumque liberalium omnium splendore feliciter fruamur.

Tibi ergo omnipotens, aeternae & benignissime Deus, Pater, Fili, & Spiritus sancte, gratias agimus, &c. ut in priore orat:

Nunc autem, quoniam officii mei ratio postulat, ut de materia aliqua, cognitione liberali non indigna, verba ex hoc loco augustissimo faciam: optarem equidem, Patres ac Civitates Academici, ut Demosthenica aut Tulliana eloquentia vobis satisfacere, auribusque vestris politis grata, & hoc loco augustissimo digna, digne proferre possem. Verum, agnosco lubens, tantum in me ingenii & eloquentiae non esse, ut me hoc praestitutum polliceri audeam. Imò, si qua in me dicendi facultas

cultras

cultas esset: tot eruditissimorum Virorum ac Iuvenum, in hac corona splendidissima, polita iudicia sentiens, si non obmutesceret, tamen hesitaret. Quod siue modestia tribuere velitis, siue animo, tenuitatis & imbecillitatis conscio, ego non prohibeo. Unicum, animum non nihil revocat, candidus nimirum vester favor, quo cum alios antehac & non ita pridem me quoque, audieritis: nihil video obstare, quò minus eundem nunc quoque à Vobis mihi spondeam.

Cogitanti autem mihi de materia aliqua idonea, multa sese obtulerunt & varia. Verùm eiusmodi iam eligendam censui, quæ cum ea, de qua nuper verba ex hoc ipso loco feci, cognationem quidem quandam haberet, non tamen nimis propinquam, sed paulò remotiorem, ne semper eadem chorda oberrare, aut unam semper cantilenam occinere viderer. Cumque quarto ab hinc Mense ostenderim, quàm felix elapsum modò seculum, in artibus, si non inveniendis, tamen reducendis, excolendis, illustrandis, à sordibus, sentibus & spinis Barbaricis expurgandis, fuerit: non inconueniens, aut Vobis iniucundum fore arbitror, si de Terris, eodem seculo proximo inventis, nunc dicam maxime de ea, quæ America nomine hodiè venit, & disquiram, Utrum ea terra hoc demum proximo seculo, primò omnium aliis extra eam degentibus innotuerit: an verò etiam priscis hominibus cognita fuerit: & si fuerit, quid causæ subsit, quod tot seculis, usque ad mille quingentos à Christo nato annos incognita latuerit! De quo argumento, nemini vestrum, ut spero, ingrato, dum iam verba facio, Te Illustrissime Princeps AVGVSTE, Rector Magnificentissime, Domine Clementissime, &c. Vosq; Pro Rector Magnifice, Illustres & Generosi Barones, Viri Sirenes & Nobilissimi, Reverendi, Consultissimi, Doctissimi, Clarissimiq; teq; corona studiosorum Nobilissima & Lectissima, rogo humiliter, & amice, ut clementer, benevolè & patienter me

D

ter me

Propositio.
An America
olim fuerit
cognita:
& si fuerit,
quare post-
ea tamdiu
latuerit:

ter me audiatis. Ego, ne clementia, benevolentia & patientia huius vestra quonquam pœniteat, brevitare cavere studebo.

Brevis de-
scriptio A-
mericæ.

Est in Oceano Atlantico, magnus quidam Terra tractus, & vastus, qui an Insula sit, an continens, adhuc dubitatur: quanquam quod plagam Meridionalem attinet, aquis eam ambitam, & à continente, Fretò Magellanico determinatam esse constat. De Septentrionali verò adhuc ambigitur, eò quòd peregrinationibus nondum omnia loca satis sint explorata. Necesse tamen est, eam undiq; Oceano allui, si à tribus hisce, quas jam dudum cognovimus, orbis partibus discretam credimus. Hæc ita magna est, ut nec uni reliquarum orbis partium: neque verò vix etiam omnibus tribus simul sumtis, amplitudine cedat. Extendit enim se ab equatore versus Austrum, ultra quinquaginta gradus: Versus Septentrionem verò, gradus eius tractus, ad septuaginta ferè, sunt hætenus explorati. Figuram repræsentat duarum Peninsularum Isthmo connexarum, quarum una Septentrionalior, Nova Hispania: altera Meridionalior, Peruvia nominatur. Hispania nova longitudo ab ortu in occasum sese exporrigit ad 150 gradus: hoc est, ad bis mille ducèta miliaria Germanica: Peruvia verò ultra 60 gradus, hoc est, ad non gentia ferè miliaria germanica. Quam ob magnitudinem etiam, quarta orbis pars, imò cū reliquis tribus propè maior sit, Novus orbis appellari solet. Utraq; peninsula, florentissima & opulentissima regna continet. Estq; in iis omnis generis gemmarum, & metallorum, maximè Auri, præsertim in ea parte, quæ Peruvia nominatur: aliorūq; terra nascentium, lignorum ad ædificia aptissimorum, etiam Hebeni, & id genus aliorum, copia uberrima. Inventa nuper primùm fuit, & detecta, Septentrionalis peninsula, à Christophoro Columbo Genuense, auspiciis Regis Castilia anno Christi 1492: posteaq; ab Americo Vesputio magis explorata, à quo etiam America nomen est sortita: Australis verò, & præcipuè

cipuè in ea pars illa, quæ Bresilia nuncupatur, à Lusitanis, anno 1504 fuit adinventæ & explorata. Scribunt, inveniri in hac vastissima orbis parte, alicubi Amazones, alicubi Aethiopes, alicubi & Gigantes, maximè in Australi Chersoneso: alicubi & crudelissimos homines ἀνθρωποφάγους, quos Canibales appellant, præcipuè in Zona torrida, prope Aequatorem. Pluribus hanc terram si describere vellem, citius tempus, quàm materia me deficeret. His autem qualibuscunq;, ad propositum nostrum sufficientibus, contenti iam esse poterimus.

Hunc vastissimum terræ tractum, nemini unquam hominum extra eum degentium, ante nuperam Vesputij inventionem, cognitum fuisse, qui existiment, sunt plurimi: ducti usitata illa & à maioribus nostris accepta, trium orbis partium. Europa, Asia & Africa, enumeratione. Verùm, si veterum Poëtarum, & Philosophorum præstantissimorum, & Geographorum Historicorum, addo etiam sacrarum literarum monumenta, diligentius evolverimus, mentionem eius apud veteres sæpè factam fuisse inveniemus.

Primos ergò omnium, testes produco Poëtas, quandoquidem Principem horum HOMERVM, inter profanos testes, habeo antiquissimum. Hic ergo Odyssæa primo, duplices facit Aethiopas, alios Orientales, alios Occidentales, & ad utrosq; invisendos, sacrumq; eorum convivium adeundum, Neptunum profectum fuisse fingit. Sic enim ait:

Ἄλλ' ἂ μὲν αἰθιοπᾶς μετεκίαιθε τηλόθ' ἔβντας,
 Αἰθιοπᾶς, τοὶ διχθὰ δειδαίεταί, ἕχατοι ἀνδρῶν,
 οἱ μὲν δυσομένους ὑπερίον, οἱ δ' ἀνιοντ.

Ac licet sint nonnulli, qui divisionem hanc Aethiopum, non de Terrarum distantia, sed de Nili transitu intelligant: cuius ratione, alii cis, alii ultrà habitantes, Orientales & Occidentales dici possint: Non desunt tamen eruditorum interpretationes, qui Orientales Aethiopas, eos qui sub Aegypto sunt, censent:

D 2

sive

I. An Ame-
 rica veteri-
 bus fuerit
 nota?

Probatur
 autoritate.
 I. Homeri.



sive cis, sive ultra Nilum habitent: Occidentales verò eos, qui habitaverunt in Atlantica Insula, quæ nostra America est, ut ex sequentibus clarius innotescet. Quæ interpretatio, præterquam quod recentioribus multis arridet, etiam olim Cratetis fuit, ut apud Strabonem lib. 1. legitur. Et cultum in Atlantica Insula Neptunum, quem hic Poëta ad convivium sacrum utrorumq; Aethiopum, utpote cultorum suorum, profectum fingit: ejusdemq; templum celeberrimum, stadii unius longitudine, trium ~~σταδίων~~ seu jugerum latitudine, ibidem fuisse, Plato in Critia (pag. 113. & 116.) expressè testatur. Aethiops quoque in quibusdam eius terra tractibus reperiri, hodierna peregrinationes docuerunt, ut modo in descriptione fuit dictum. Si ergò Homerus, Aethiops alios, præter Africanos illos ad Nilum habitantes, ab his seiunctos & remotos novit: omnino non in Æthiopia eos credidit, sed certum locum inhabitare scivit. Quis autem ille, alius à nostra America sit, si ab aliquo fuerit ostensum, facile ei ad stipulabimur.

2. Virgilio.

Homero huic Chio, addam alterum Homerum Mantuanum, Virgilium, qui 6. Aeneidos, ubi de terris Romano Imperio subijciendis, vaticinatur, inter alias etiam, huius Atlanticae Insulae facit mentionem, dum inquit:

----- Iacet extra sidera tellus,

Extra anni solisque vias, ubi coelifer Atlas

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Hunc locum etiam si Servius & alii, de Aethiopia Maurorum, apud quos Atlas mons est, interpretantur. Tamen nondum apparet, cur tractus ille Mauritaniae, extra sidera, hoc est, extra signa Zodiaci, quæ propter excellentiam sidera dicuntur. Item, Extra anni solisque vias, hoc est, extra Eclipticam, vel Zodiacum etiam, esse dicatur, cum sub Zodiaco tractus ille magna ex parte contineatur. Et extra sidere jacera, si esset de situ, cis Zonam torridam, quæ sub Zodiaco est, intelligendum:

quid

quid singulare hoc fuisset? cum & Gallia, & Hispania, & Asia viciniora Regna sint extra eam Zonam? Quin potius vult hic indicare Poëta, aliquid & Magnum & Remotum. Magnum innuit, cum ait, jacet extra sidera, extra anni Solisq; vias: Remotum, cum ea de Atlante addit. Secundum utrumque, rectè hunc locum, de hac Atlantica Insula interpretabimur. Hæc enim vastitate sua, utrobique, tam versus Septentrionem, quam versus Meridiem, extra Zonam torridam, seu ut Virgilius loquitur, extra anni solisq; vias, quæ in Zona torrida inter Tropicos sunt, longe lateq; sese exporrigit. Quodque Atlas ibi esse fingitur, id non de Atlante Mauritanie monte accipiendum est, sed de remotiore hac Atlantica Insula, cujus primus Rex fuit Atlas, qui inter decem fratres, in quos, Insula huius amplissima, decem Regna fuerunt olim distributa, primogenitus ex Neptuno fuisse, à Platone in Critia scribitur, cujus testimonium postea audiemus: qui Atlas etiam amplissimam & optimam sortem præ cæteris Fratribus, simulq; totius Insula Imperium summum fuit adeptus, adeo ut Insula etiam tota Atlantica, ipseq; Oceanus alluens Atlanticus diceretur, ut ibidem à Platone differitur. Hanc ergo vastissimam, & remotissimam terram, Imperio Romano aliquando inventum & subiectum iri, Anchises Virgilianus, apud Inferos, Aeneæ prædicit: vel potius Virgilius sub prosopopœia manium Anchisæ, futurum aliquando ominatur: licet in contingente hoc futuro, aberrasse Poëta omen, palàm sit, cum non à Romano aliquo Monarcha, sed ab Hispano, hæc terra nuper demum inventa fuerit & subacta. De quo tamen nobis cum aliis iam lis non erit, modò obtineamus, Virgilium hic Americam nostram, non aliam terram intellexisse.

Nec abs re erit producere Senecæ testimonium, qui cum ex veterum monumentis aliquid de hac Terra cognovisset, de suo eam inventum aliquando iri, æstro Poëtico percitus vati-

ginatur in Medea, ----- Venient annis
 Secula seris, quibus Oceanus
 Vincula rerum laxet, & ingens
 Pateat tellus, Tiphysque novos
 Detegat orbis, nec sit terris
 Ultima Thule.

*Quid quaeso, de inventionione novi orbis, clarius potuisset prae-
 di- ci? Nihil certè. Nec mihi ullum dubium est, quin horum
 trium Principum Poëtarum testimonia sufficere possint, ad ob-
 tinendum, Terram illam quae hodie America dicitur, veteri-
 bus non incognitam fuisse.*

*Sed fortasse, Poëtarum testimonia, suspecta fidei esse sus-
 picamini, cogitantes illud, πολλα ψεύδοις αἰδοί? Ne ergò
 Poëtica solummodò fide vobiscum agere velle videar: agite,
 audite & Historicam, ex scriptis praestantissimorum Philoso-
 phorum, & Geographorum Historicorum petitam.*

4. Platonis.

*Prodeat ergò Philosophorum Dux P L A T O. In huius
 Timæo, Critias ex sententia Solonis, qui ab Aegyptiis Sacerdo-
 tibus hac acceperat, ita ad Socratem ait: Narrant vetusta
 scripta rerum Atticarum, in Mari Atlantico, extra illas
 angustias, quas ἠρακλέους σήλας vocant, fuisse olim Insu-
 lam quandam, Africa & Asia majorē, ex qua ad alias In-
 sulas facilis esset traiectus. Auditis, fuisse priscis hominibus
 ante Socratis aetatem, notam Insulam, in Mari Atlantico, Oc-
 cidentali, extra columnas Herculis, Africa & Asia maiorem.
 Quis adeò stupidus est, ut hac de America non statim interpre-
 tetur. Digito certè intendi videtur. Nominetur enim prae-
 ter Americam, alia in Oceano Atlantico, ex opposito columna-
 rum Herculis Insula, quae Asia & Africa sit maior! Nulla
 dabitur.*

*Idem Plato in altero dialogo, qui Critias inscribitur,
 hanc Atlanticam Insulam prolixè, à feracitate, divitiis, Me-
 tallis,*

tallis, Animantibus, fructibus, magnitudine, regnis, & aliis, ita describit, ut cui alteri præterquam America, ea descriptio competere queat, à nemine hæctenus potuerit indicari.

Accedunt huc etiam PLINIUS, & STRABO, in Geographicis, quorum uterq; Platonis sententiam de Insula Atlantica agnoscit. Et apud eundem Strabonem, Crates Philosophus, eandem nobiscum loci Homerici modo citati interpretationem de Atlantica Insula amplectitur.

5. Plinii & Strabonis.

Prodeat etiam Platonis discipulus ARISTOTELES. Hic in libello de mirabilibus auditis, scribit: In mari Atlantico, extra columnas Herculis, Insulam olim à Carthaginiensibus fuisse inventam, à nullis tunc hominibus, sed tantum feris habitam, & frequentibus arboribus referam: fluminibus plurimis ad navigandum aptissimis plenam: incredibili rerum ubertate mirandam: à continente plurium dierum navigatione remotam.

6. Aristotel.

Hæc de America nostra intelligenda esse, etsi jamdum satis liquet: magis tamen adhuc agnosceretur, ubi postea ex eodem Aristotele, causam inducaverimus, quare semel inventa, posterioribus tamen hominibus cognita esse desierit.

Ita ergò non Poëta solum, omnis humana sapientia Sacerdotes, sed & Principes Philosophi, & Geographi Historici, unanimi consensu attestantur, Terram illam, quam nos, propter recentem inventionem, Novum orbem appellamus, præscis veteribus fuisse cognitam, nec hodiè demum primò inventam, sed potius reinventam.

Possent, Auditores, hæc testimonia fidei facienda sufficere. Sed agite videamus, an non etiam ex sacris literis, idem possit ostendi. Libro 3. Regum 9, & 2. Paralip. 8, mentio fit classis, emissæ à Salomone & Hiramò, è littore maris rubri.

7. Sacre Scripturæ.

rubri, ad advehendum aurum ex Auphir: unde etiam 420 auri talenta, advecta fuisse additur, cum Hebeno, & gemmis plurimis. Hanc Ophir, sive Aupir, eandem esse cum nostra America, sunt qui non contemnendis rationibus adstruant. Indicatur enim locus, unde oram solverunt, qui est portus maris rubri: unde per Mare Indicum, & Oceanum Aethiopicum, ad Americam nostram, commodo cursu naves pervenire potuerunt.

Neque tempus totius navigationis, videlicet triennium, huic sententia adversatur: unde remotiorem à Mari rubro illam terram fuisse colligimus: & non statim ad prima littora Insulae Atlantica, vel Americae nostrae, sed per fretum Magellanicum, ad Occidentalia littora appulisse, verisimile est, ad eum fortasse tractum, ubi nunc Nova Hispania est.

Ea quoque quae inde fuerunt advecta, ut auri talenta 420, gemmae preciosa, Hebenus ad Architectonicam apta, & alia, America, sive Atlantica Insula suffragari videntur: de qua Plato in Critia testatur, quod auro, lignis omnis generis preciosis, & ad aedificationes aptissimis, gemmisque ac metallis abundarit. Ut unde plus auri advehi potuerit, nisi ex hac ipsa Insula, non possumus ominari: praesertim cum historia hodierna testentur, REGNUM PERU, quod AMERICAE pars est, auro, gemmisque abundare, & Hebenum in vicinis Insulis, maxime Hispaniola, multam inveniri. Adde quod nomina non admodum discrepent. Ophir enim sive Aupir, eandem esse, qua hodie Perua ab ipsis incolis appellatur, non est vero absimile: praesertim cum eadem historia sacra, aurum illud ex Aupir praestantissimum, alibi aurum Peruanum, vel ex Peruaim, nominet, 2. Par. 3. (v. 6.) Ut jam nullum dubium superesse videatur, quò minus statuamus, illam terram Aupir sive Peruaim, esse hanc ipsam nostram Americam, cujus praecipuus quidam tractus, in Meridionali

Cherso-

Chersoneso, Perua ad hodiernum usque diem prisca appellatio-
ne nominatur.

Ita ergo, Auditores, non uno, sed pluribus: non obscu-
ris, sed evidentibus: non profanis tantum, sed & sacris testi-
monis, probatum haecenus vobis fuisse confido, Americam
illam nostram vetustissimis hominibus non incognitam fuisse.

NUNC ALIUD hinc exoritur enodandum, quod pau- II. Quare
cis expediemus. Quoniam enim ex haecenus allatis abunde America
constat, Terram illam vetustissimis fuisse cognitam: Iam non tam diu la-
immerito queritur, qua causa sit, quod a temporibus, inde ad- tuerit?
huc ante Platonem & Aristotelem, longè retrò numeratis, usq;
ad 100 annum à nato Christo circiter, & ita plus quam 20
seculis, seu 2000 annis, incognita postea fuerit. De quo qui se
dubitare dicunt, habent causas dubitandi, meo iudicio non
contemnendas. Quis enim non miraretur, tanta magnitudi-
nis Insulam, semel cognitam, postea iterum tot seculis potuisse
homines latere? Si esset exigua, & ex earum numero, quas A-
ristoteles *ἠὲρ* vocat: non esset fortasse, quod mirare-
mur. Iam verò tanta audivimus esse magnitudinis, qua Asi-
am & Africam longè superet. Neque etiam sita est, in ius-
modi aliqua Zona, quò navigantibus, minus pateat iter:
sed amplitudine sua, in omnes Zonas, Temperatas & Intempe-
ratas, tractibus certis sese extendit: ut si per unā Zonarum ad
hanc terram navigare commodè non liceret: per aliam tamen,
eadem adiri posset. Quòd si incredibilem & insatiabilem aurè
argentiq; famem perpendimus, qua per mare, per terras, per
saxa, per ignes, mortales, vel ad extremos usque Indos ferun-
tur: mirum certè est, eos ad tam opulentissima haec regna,
haecenus nunquam attulisse. Neque minus hoc mirum ac-
cidit, si Regum & Monar. harum summam dominandi cupidi-
tatem consid. ramus, qui ut regnis suis, etiam ex remotissimis
verris, accessum facerent, nihil intentatum reliquerunt:

E

quos

quos quomodo, tot seculis, tot regnorum opulentissimorum terra latere potuerit, non facile quis dixerit. Et aliàs magna est mortalium curiositas: dum semper nova subinde inquirere & investigare, summo studio laborant: adeò ut ea etiam, quæ in visceribus terra abstrusa continentur, humanam aciem non effugerint: ut verè mirari liceat, ea quæ in superficie sunt, tot seculis incognita manere potuisse. Et si dicere auderemus, cum omni mortalium generi, cu statim in creatione, generali gratia Deus orbem terrarum subjecit totum: tum verò vel maxime summis priorum seculorum Monarchis, qui singulari privilegio terris dominati sunt, ferè dedecus videtur fuisse, tantas terras tamdiu ignorasse: non minus atque patrifamilias turpe esset, si domus sua conclave precipuum non nossent. Adde quod tot seculis tantus usus fuxit navigationum: quibus si caruissemus, non esset quod ipsi nobis exprobraremus, aut tam disturbantem huius vastissimi tractus terra, ignorantiam tantopere miraremur. Hæc ergò omnia si coniunctim quis consideret, vix fieri potuisse credat, ut Insula tam magna & opulenta, semel inventa & cognita, postea tot seculis *αγνωστος* & maneret.

Ratio Platonis vel Allegorica vel fabulosa.

Verùm, si de hac quaestione Platonem & Aristotelem con-
sulemus: huius rei causas ex iis audiemus, licet discrepantes. Plato enim in *Timæo* censet, diluviorum & terræ motuum multitudinem & magnitudine, unius noctis & diei spacio, omnes homines illius Atlanticæ Insulæ absorptos, adeoque ipsam Insulam, maris fluctibus planè oppressam, ipsumq; mare Atlanticum *ἀπὸρον* & *ἀδιερευνητον*, trajectuq; difficile factum fuisse, cum lutum adhuc copiosum, ex Insulæ illius reliquiis remanserit: sicut hac Critias, ex seniore Critia, qui ex Solone hæc cognoverat, audita, in dicto *Timæo*, Socrati recenset. Et in altero dialogi, qui Critias inscribitur, cum multa de hac Atlantica Insula disseruisset, de eodem interitu dicere instituit: sed pars illa dialogi temporum
injuria.

injuria ad nos non pervenit. De qua tamen narratione, siue fabulosa, siue Allegorica, hic cum nemine contendemus.

Aristoteles verò in modo citato libro de auditis mirandis, aliam rationem reddit, vero propiorem. Cum Carthaginenses, inquit, qui olim domini erant Occidentalis Oceani, sicut hodiè Hispani ferè sunt, animadverterent, multos mercatores, aliosque homines, loci fertilitate, amœnitate, & aëris clementia allectos & captos, sedem suam ibi fixisse: veriti sunt, ne si Insulæ illius fama, ad alias nationes perveniret, magnus hominum ex variis terræ locis concursus ad illam fieret. qui postea peculiari Imperio constituto, sibi non tantum felicitatem illius insula præriperent, sed ex ea etiam Carthaginense Imperium infestarent, marisque dominium sibi extorquerent. Idcirco publico consilio decreverunt, morte indictâ, ne quis posthac eò navigaret. Et ne ab iis, qui jamdum illam Insulam occuparant, periculum sibi metuendum esset, omnes eos, quibus quidem potiri potuerunt, expulerunt, aut interfecerunt. Atque hoc modo factum est, ut cum nemo Carthaginensibus prohibentibus, & caventibus, addo etiâ, tentantes hoc, hostiliter avertentibus, eò navigare amplius auderet, Insula illa, posterioribus hominibus nota esse desierit: & ignota postea multis seculis manserit. Cuius sententia Aristotelis, vero similima, subscribere, non esse existimo, quod dubitemus.

Etsi autem & alia huius rei rationes afferrî possent, ut Bella, quibus totus ferè mundus subsequenteribus seculis occupatus, inquisitioni novarum terrarum, operam dare non potuisse videretur, & meo quidem iudicio fortè non malè: Tamen quia meum iam fuit propositum, ea solum afferre, quæ autoritate prisca, non tantum coniecturis, licet per se non contemnendis, niterentur: plura de hac re nunc afferre, supervacaneum existimo: præsertim cum ex his iam satis constet cuius id, quod

Ratio Aristotelis verisimilior.


E 2 propo-


proposueramus, nimirum & notam fuisse priscis hominibus nostram Americam, & ob causam indicatam, si modo Aristoteli Historica fides tribuenda est, postea ad proximum usque seculum, quo denuo inventa & recognita fuit, aliis gentibus incognitam mansisse.

Deo æterno, Patri, cum Filio & Spiritu sancto, gratias agamus, quòd homines ἀλφεισῶν regat, eosq; ad variarum rerum inventionem, naturæq; indagacionem, & orbis quem incolimus cognitionem, perducatur: præcipuè autem, quòd nos agnitione Verbi sui salvifici dignatus fuerit: & cum tot millia aliorum librorum interierint: tamen sacros codices, cum saniorum Philosophorum, præsertim Platonis & Aristotelis, scriptis eruditissimis, nobis conservarit. Idem benignissimus Deus, verbum suum incorruptum, artesq; humaniores, æternùm inter nos sonare sinat: excitetq; in nobis, non tam terreni hujus orbis cognoscendi studium, quàm cœlestem illam patriam intrandi desiderium, ubi πολιτεύμα nostrum est. ad quod ut omnes nos, per Christum filium unigenitum, ex immensa sua gratia perducatur, supplicissimè fuis precibus flagitamus.

D I X I.







Nh 1236.

80

f



ULB Halle 3
 002 819 279

an 31 nur Verknüpfung JA → OL
 f1-5 # 40 Stück
 F23

VD 17 Me



...m Inu Liptsa

...m ...m ...m ...m

...m ...m ...m ...m

de





ORATIO SECULARIS
IN ALMA VVI-
TEBERGENSIUM ACADEMIA, IN FESTIVITATE
PHILOSOPHICA,

Die Catharinæ habita

à

M. ERASMO SCHMIDT,
GRÆC: LING: PROF:

ANNO CHRISTI M. DC. I. QVI ACA-
demia VVitebergensis fuit Centesimus
& Iubilæus.

ADDITA EST ALIA EIUSDEM, DE
America, in Promotione x x v Magistrorum,
23 Martij 1602, eodem Iubilæo
currente, recitata.



VVITBERGÆ

Typis Laurentii Seuberlichs. Anno
Christi M. DC. II.